

totele, sine ulla difficultate dissolventur, quod et fecit egregie Magnus Syrianus, qui eas quoque et dubitationes et calumnias, quae duobus ultimis Sapientiae libris integris nectuntur, iam dudum refutavit et convulsit. Qui sane vir maximus, dum ag-
 5 greditur eam mathematicum Aristotelis discussionem, palam ac ingenue negat fuisse quemquam Pythagoreorum vel Platonem, qui dicerent figuras et magnitudines mathematicas in sensibili-
 bus esse. Scribit autem in haec verba: *Nam nec Pythagoreorum quispiam nec Plato ipse nec aliquis Platoniorum, qui eum secuti sunt,*
 10 *geometricas figuras et magnitudines in sensibilibus locavit.* Falsi ergo convincit Aristotelem, qui superiori capite dixerat:²⁷ *Necesse est, si sint mathematica, vel in sensibilibus esse ea, sicuti dicunt quidam.* A nemine enim id dictum Syrianus autumat. Corruunt ergo, quae ex hac suppositione inferuntur, illationes omnes.

15 Quod vero ait: *Neque separatas tales naturas esse, possibile ut sint.* Dicimus nos solvi facile ex tradita historia placitorum Pythagoricorum. Namque sunt corpora, superficies, lineae, puncta, numeri in rebus sensibilibus, opinabilibus, scibilibus, intelligibilibus. At si quaerat a me Aristoteles, quo id modo sit, quaeram ego
 20 quoque ab eo, qua ratione ipse 3. De anima capite 3. laudaverit eos, qui dixerant animam esse locum specierum? Si respondeat esse in anima species, prout natura animae capit, eadem respon-
 sione tuebor Pythagoreos esse mathemata in iis rerum generibus, prout natura generum eorum capax est, in intelligibili esse
 25 intelligibiliter, in scibili scibiliter, in opinabili opinabiliter.

Sed audentius Syrianus ad hunc locum ita scripsit: *In his pro-
 fecto suppositionem antiquioribus placentem redarguere tentat, sed
 nihil dicit adversus eam demonstrativum. Sed quae vulgarem forte ho-
 minem et eorum sententiam non assequentem perturbare posset.*

²⁷ ἀνάγκη δ', εἴπερ ἔστι τὰ μαθηματικά, ἢ ἐν τοῖς αἰσθητοῖς εἶναι αὐτὰ καθάπερ λέγουσί τινες. [ARIST. Metaph. 1076a.32 – 34]